

De probatione infra. Argumentum III. præcipue torsit *Sveffanum*  
dilucid. l. 5. *Zimaram & Mercen.* apud quem vide l. c. c. 5. Nullus tamen  
in hanc mentem respondit, qvia aliis fundamentis nitebantur.

§. 22. Argumentor contra Scotum I. si genus & differentia,  
tantum ratione distinguuntur, non datur differentia individualis.  
Sed verum prius. E. Major patet, nam etiam species & differentia  
numerica solum ratione distinguuntur. Min. probatur. 1. Qvæ ante  
operationem mentis differunt, separabilia sunt. Sed genus & diffe-  
rentiæ non possunt separari. Qvamvis enim sint loca qvædam  
Scoti qvibus afferat posse fortasse Deum facere ut universalia sint  
extra singularia, & similiter Genus extra speciem, tamen id absurdum  
probo, qvia nulla daretur divisio adæqvata, daretur animal  
nec rationale nec irrationale. Et daretur motio neq; recta neq; ob-  
liqua. 2. Differentiæ superiores prædicantur de inferioribus, v. g.  
hæc rationalitas est rationalitas, E. differentia specifica includit in  
se differentiam generis, E. à genere non differt. Nam genus ad dif-  
ferentiam suam additam habet differentiam generis sui, qvæ & ipsa  
includitur à suâ. Et ita ad usq; summum. Et qvia aliquando sistendum  
est, dixit Aristoteles Ens prædicari de differentiis. Vid. qvæd.  
apud *Soncin.* l. 7. q. 36. & 37.

§. 23. II. Si non sunt universalia ante mentis operationem nō  
datur compositio ante mentis operationem ex universali & indi-  
viduante. Non est enim realis compositio, cuius non omnia mem-  
bra sunt realia. Sed verum prius. E. Min. prob. omne qvod ante  
mentis operationem realiter ab altero ita differt, ut neutrū sit pars  
alterius vel ex toto vel ex parte, potest ab altero separari. Nam in  
adæqvate differentibus neutrum altero ad suum esse indiget. E. po-  
test separari per potentiam DEI absolutam, & solum pars à toto  
ita ut id permaneat, est simpliciter inseparabilis. Min. prosyll. pro-  
batur, daretur enim linea realiter neq; recta, neq; curva, qvod ab-  
surdissimum. v. *Ruv. Logic. de universal.* q. 4.

§. 24. III. Si non datur *distinctio formalis* ruit Hæcceitas. Sed  
verum prius. E. Anteqvam probemus de hæc distinctione aliquæ  
differenda sunt, videri autem possunt *Stahl. Comp. Metaph.* c. 23 *Son-*  
*cin.* l. 7. q. 35. *Pofnanensis* l. sent. d. 34. dubio 64. Tribuitur communiter  
Scoto ut media inter *realem & rationis*, unde ejus sectatores dicti  
*Formalistæ.* Hac putat distingui attributa in *Divinis & Relationes*

Per-